



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

17 Catholici superiori infideli indifferentia iubenti iustè parent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

ticum ex signis sufficientibus, vel ab aliquo fide digno, qui id scit, audiuit, vel per confessionem ipsius id competentum habet, ex Innoc. in cap. cum causa de iuram. calum. & eum talem esse probare poterit; Nec absolui debet, nisi denunciante proponat: Si autem si dubius sit, an sit hæreticus, nec eum talem esse probare valet: Tunc enim male faceret, qui ob leuem suspensionem, & ob signa non manifesta aliquem tanti criminis reum denunciaret.

DECISIO IX.

Ex cons. 10. alias 1.

9 **Q**uamuis iure communi Prælati Religionum Congregationis alicuius iurisdictionem in suos subditos habent quod ea, quæ ad regulam pertinent, ex Glo. in c. cum ab ecclesiarum de off. ord. & etiam consuetudine, vel privilegio quoad alia crimina, etiam ad imponendam penam irremittunt; c. nullam 18. q. 2. Non tamen eodem iure communi iurisdictionem habent cognoscendi de causis hæresum religionum sui ordinis, & eas definiendi, nec consequenter aliquid de eis statuendi absque privilegio Sedis Apostolicæ, sed huius rei cognitio, & potestas puniendi, & definitendi per longissimam temporis consuetudinem solis Inquisitoribus re cura. De ecclesiasticis communicatis, referuatur. c. vt off. cap. vt Inquisitionis. & cap. per hoc. de hæret. in 6. Cle. 1. & 2. de hæret.

DECISIO X.

Ex cons. 11. alias 14.

10 **G**ubernator secularis ab Episcopo requisitus, vt aliquem in excommunicatione per annum manentem, tanquam suspectum de heresi capere, aut captum semel Episcopo tradere differens, ne iurisdictioni Regiæ præiudicium faciat, sed in carcerem secularem conijcit, ex quo postea sine alia gubernatoris culpa, de consensu tamen Carcerarij au fugit, uterque tam Gubernator, quam Carcerarius, excommunicationem Bullæ Cœnæ, tanquam hæreticorum fautores, in foro exteriori incurrere censendus est. §. 1. Bullæ cœnæ. Quæ excommunicatio Papæ referuatur, sicut alia illius Bullæ: Sin vero alijs de causis, & non animo fauendi prædicto capto, quatenus erat de heresi suspectus, Gubernator mandata implere omittit, & Carcerarius eius fugæ consentit, non quidem ne puniator de heresi, sed aliam ob causam, puta miserationis, paupertatis, cognationis, vel amicitie, neuter eorum in foro conscientie excommunicationem præfate Bullæ incurrit, ita Na. in Ma. cap. 27. nu. 55.

DECISIO XI.

Ex cons. 12. alias 20.

11 **H**æreticorum bona, quæ ipso iure propter hæresim confiscantur apprehendi, & occupari non possunt, quantumque notorius hæreticus sit, donec per ecclesiasticum iudicium hæreticus declaratur. cap. cum secundum. de hæret. in 6. Quæ bona confiscata fisco, ecclesiæ cedunt, si bona illa in territorio ecclesiæ sita sint, aut fisco temporalis, si in territorio seculari posita sint; cap. vergentis de hæret. & d. cap. eum secundum. & gl. in clem. 1. de hæret. maxime cum is, cuius bona propter hæresim confiscantur, laicus sit. argu. cap. Noui. de iudic.

DECISIO XII.

Ex cons. 13. alias 15.

12 **T**estis, qui iuratus, & interrogatus de coniecto in carcerem pro heresi ab Inquisitore, quid sentit de eius fidelitate, respondet, se adeo credere illum esse fidelem, vt contentum se dicat comburi, si ipse inueniatur hæreticus; nec peccat, nec ab Inquisitore puniri potest: si coniectus in carcerem probetur hæreticus: cum figurata & hyperbolica locutio: nec mendacium, nec peccatum sit; ita S. Tho. 2. 2. quæst. 3. art. 1. & si peccatum esset, peccatum tamen heresis non erit, cum nec contra factam scripturam, nec contra aliquam

Ecclesiæ Romanæ determinationem sit; Nec quisquam se obligare potest ad penam ignis, mortis, aut mutilationis membri, ex Glo. in cap. cum homo 23. q. 5. cum suorum membrorum non sit Dominus. cap. contingit de sent. exc.

DECISIO XIII.

Ex cons. 14. alias 10.

13 **I**n Sacramentorum susceptione hæreticos notorios vitare non tenemur, vnde iisdem casibus, & modis in Sacris cum illis communicare possumus, in quibus cum Catholicis, quos scimus esse excommunicatos, si denunciati non fuerint, vt ait Nau. in Man. cap. 27. num. 35. Sed & Missa celebrari, & alia officia Divina publica in ecclesia, in qua hæreticus sepultus est, peragi possunt, dummodo hæreticus ille denunciatus non fuerit, Extrau. Ad euitanda Mart. V. quamuis hoc olim prohibitum fuerat. cap. Sacris. de sepult. & ca. Ad hæc. de privileg.

DECISIO XIV.

14 **C**atholicus cum iuramento a iudice hæretico, vel ab hæretico constituto interrogatus, si sacram fecerit, vel eadem inter fuerit; Respondens simpliciter se nescire, peccat; quia peierat, & mendacium iuratum profert; Qui vero non iurat simpliciter, sed cum additione mentali interiori, intendendo se licet intra se quod non ita, vt dicere teneatur, non peccat, sed bene facit & meretur. ex Naua in Man. c. 18. nu. 60. & 61. & cap. 24. nu. 43.

DECISIO XV.

15 **D**egens in terris hæreticorum habens propositum seruandam catholicam, ita, vt ope diuina nunquam eam negabit, nec desinet eam confiteri quoties id fuerit necessarium ad gloriam Dei, vel ad vilitatem proximi, non tenetur inde exire, alias vero tenetur, ex S. Thom. 2. 2. q. 3. art. 2. & ibi Caio.

DECISIO XVI.

Ex cons. 15. alias 12.

16 **C**atholicus in partibus, vbi palam hæreses vigent, si a propinquis defunctorum rogatus sit, eorum funus committari quando ipsi hæretici defuncti ad sepulturam hæreticorum more deducuntur, licet, & sine peccato id facere potest, dummodo is qui sepeliendus est, non sit hæreticus denunciatus pro excommunicato. Extr. Ad euitanda Mart. V. & Nau. in Man. c. 27. num. 55. aut ad intentione fauendi hæreticis, quatenus hæretici sunt, non faciat, sed alio iusto & honesto respectu humanitatis naturalis, vel cognationis, vel locationis operet; Sicut enim potest eum licite committari, vel deducere vnum ad alia opera per se licita, & committari ipsi edendo, b. bendo, & contra hendo sine intentione fauendi ei ob hæresim, si non sit denunciatus excommunicatus; Sicut etiam illi mortuo communicare potest, eum ad sepulturam deducendo, quod est per se licitum, & hoc etiam si essent hæretici manifesti, & notorii; Non tamen licet ipsos sepelire; multoque minus hæreticos denunciatos, aut intentione fauendi illis, vt hæretici sunt, aut aliqua alia de causa ad funus, & sepulturam deducere fas erit.

DECISIO XVII.

17 **C**atholici terrarum, in quibus hæretici, & alij parsi di imperat, & iurisdictionem exercent, claudere possunt officinas suas, in quibus operantur, iubente id Principe, vel Magistrato hæretico, vel alio infideli, diebus festis ab hæreticis, vel infidelibus institutis; modo id animo fauendi hæreticis, vel alijs infidelibus ritibus ab ecclesia catholica damnatis, non faciant: Cum huiusmodi officinarum clausio opus ex se indifferens sit, quod bono, & malo sine ficti potest ita S. Thom. 1. 2. quæst. 18. artic. 6. & licet, & iuste obediunt superiori infideli talia opera indifferenter iubenti, vt patet ex capit. Qui resistit. 11. quæst. tertia. & secunda. L 3. lum

lum orietur ex resistentia, & inobedientia non claudendo officinas, quod catholici semper vitare tenentur, quoties id licite fieri poterit. ex S. Thom. 2. 2. quæst. 43. art. 7. & 8.

DECISIO XVIII.

Ex cons. 16. alias. 24.

18 **L**icet quantumvis doctus de fide disputans, dummodo sciat id esse prohibitum sub pena excommunicationis, mortaliter peccat, & excommunicandus est, cap. Quicunque. §. inhihemus, de hæret. in 6. ipso tamen iure sic disputando excommunicationem non incurrit.

DECISIO XIX.

Ex consil. 17. alias 6.

19 **S**icut scriptura priuata manu aliena scripta, nemini nocere debet, nisi testibus munita fuerit, vel manu propria quis ei subscripserit, c. 1. & 2. de fide instrum. glo. Innoc. & Felin. ibi. Sic nemo accusandus, aut arguendus est, eo quod hoc, vel illud scripserit etiam sua manu propria in chartulis, commentariolis, & alijs memorialibus imperfectis, indigestis, & inemendatis, quibus manus extrema non sit adhibita, aut in lucem edita non sint. lex scriptur. de testamen. Immo excusandus est cuiuslibet operis scriptor, si in eius editio ne sit procectatus, se illud Sacrosanctæ Ecclesiæ iudicio, & censuræ submittere, etiam si opus sit editum, & manu extrema donatum. capit. Damnamus. §. in nullo tamen. de summa Trinit.

DECISIO XX.

Ex cons. 7. & 11. in Nouis, quæ eadem sunt, de sunt in antiquis.

20 **I**nforde scens in excommunicatione ex quacunque causa incurta ultra annum contra ipsam publicata, immo etiam si excoicatus declaratus non fuerit, (cum Extrauagans. Ad euitanda ipsismet excoicatis nihil proffit,) a iudice competenti ad dandam rationem suæ fidei catholice vocari potest; cap. ad abolendam, §. præfenti. de hæret. Concl. Trid. ses. 25. de ref. ca. 3. non tamen ut hæreticus declarari potest, aut de hæresi suspectus, nisi per annum continuuum (qualis non est quando etiam per absolutionem ad reincidentiam absolutus fuit.) a die monitionis in eadem excommunicatione nec pertinaciter perseverauerit. cap. cum contumacia. de hæret. in 6.

DECISIO XXI.

Ex cons. 8. in Nouis, deest in antiq.

21 **H**æresis manifesta non est, nec ad sacræ inquisitionis officium spectat, dicere in maxima hominum mortalitate, ob frequentia funeralia, Christus multum lucrabitur; Christus pauciores habebit amicos, si pergit eos occidere; Ad maiorem tamen securitatem talis sancto officio se præsentare potest petendo declaratoriam, vel si iudicatur in foro exteriori culpabilis, absolutionem.

DECISIO XXII.

Ex cons. 16. & 17. quæ ferè eadem sunt, de sunt in antiquis.

22 **A**biurans hæresim ob leuem, aut vehementem suspicionem falsam tamen, & condemnatus ut cum alijs publicè candelam in manibus portet, & ad tres dies ob penitentiam ad paruum tempus transmissus & si in foro conscientie innocens sit, & ab irregularitate liber, poteritque, ubi non timet de foro exteriori, ordines suscipere, & celebrare; in foro tamen exteriori irregularis ob solemnem & publicam penitentiam iudicabitur.

DECISIO XXIII.

Ex cons. 23. in Nouis, deest in antiquis.

23 **F**ilij nati ante dignitatem patris, vel postquam ab ea mortuus, vel mortuus fuerat, sicut illius priuilegiis non gau-

dent. l. emancipatum ff. de senator. ita qui ante patris hæresim, vel rebellionem nascuntur, penis eorum non afficiuntur, sed licite absque dispensatione ad honores & Magistratus promoueri possunt, nec sub dispositione cap. statum de hæret. in 6. comprehenduntur. Argu. l. 2. C. de liber. & eorum liber.

TITVLVS VII.

De Apostasia, & Apostatis,

SUMMARIUM.

1 Apostata a religione quis dicendus.

DECISIO I.

Ex cons. 1. in vtrisque.

1 **C**um ex consensu Doctorum Apostata a religione dicitur religiofus expresse, vel tacite professus, qui in religionem, quam professus est, deserit sine transitu ad aliam, cum animo non reuertendi ad suam; Nec monachus in religione, & intra Monasterium degens, etiam si iustis Prælati præceptis obedire renuat, aut votum castitatis violat, Apostata dicitur, Cai. 2. 2. q. 12. art. 1. sed in obediens, & impudicus solum appellandus est: Neque qui Monasterium exit sine licentia Prælati absque animo deserendi religionem, quamvis cum intentione intrandi aliam religionem, etiam laxiorem, si intret illam, Apostata erit, aut in Apostatarum penas incidit. ex Innoc. in cap. si de renuicis. & in cap. intelleximus de atat. & qualit. cum tali a religione non recedat: Multoque minus Apostata censeri debet, qui ad arctiorem religionem transit, petita, licet non obierit superioris licentia, cum talis transitio non sit retrocessio criminosa aut mortifera, cap. licet. de regula. qualis tamen requiritur, ut quis sit Apostata: Neque etiam cinnis retrocessio mortifera, & propter quam incurritur, excoicatio maior, Apostatam efficit; cum per temerariam habitus desertionem peccetur mortaliter, & iure ipso excoicatio incurritur, c. 2. Ne cleric. vel monac. in 6. nec tamen Apostata efficitur, & hoc etiam si dimisso habitus fieret ad liberius peccandū, cum animo tamen eum statim resumendi; ita Extrau. Viā. de regul. Neque qui Monasterium egreditur inconsulto Prælato per aliquot paucos passus statim reuertitur, Apostata censetur; cum talis egressus non sit mortalis, eo quod materia paruitas in omni materia a mortali culpa excusat; ex S. Thom. 2. 2. quæst. 59. artic. 4. ex Nauar. in Man. cap. 11. num. 4. Immo etiam si causa vagandi sine licentia sit egressus, & sine intentione intrandi aliam religionem, modo intentionem deserendi religionem non habeat. ut Caiet. 2. 2. quæst. 12. artic. 1. Sed nec Apostata erit, qui mediante legitima dispensatione ad aliam religionem, vel ad aliam locum transferatur; ita Extrau. Viā. de regul. aut qui ad Episcopatum translatus est; Clem. 1. de elec. & cap. cum olim. 2. de priuileg. Nec institutus perpetuo in aliqua ecclesia, qui desinit esse claustralis; glo. in Clem. 1. §. ad hæc de statu monac. Neque qui auctoritate sui Generalis vel Prouincialis exit, & extra Monasterium degit subueniendo necessitati parentum, inquam post eius professionem inciderunt; ex S. Thom. 2. 2. q. 101. art. 5. & Nau. in Man. cap. 14. num. 14. & multo minus si ante professionem eius tanta necessitate oppressi erant, quia tunc etiam nolente Superiori exire tenentur, & eius subuenire, si possit; ita S. Thom. ubi supra. vnde nec Bullas Pauli I V. Extrauagan. postquam constitut. 29. aut Pij V. Extrauagan. quæcunque constit. 91. incurrit, nisi Apostata a religione, qui exeunt Monasteria, & religiones per exitum mortiferum, eum animo non redeundi ad religionem, quas professi sunt, nec alias intrandi.